

(Małyński P.) Gratulatio... (1790).

XVIII, 3, 133

GRATULATIO

ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

DOMINO

PORPHYRIO

SKARBEEK

WAZYNSKI

OCCASIONE PERACTÆ VARSAVIÆ FELICISSIMÆ
EJUS CONSECRATIONIS

IN

EPISCOPUM CHELMENSEM & BELZENSEM,

Nomine Prov. Lithuanizæ O. S. Basili M. præcipue
vero Collegii Vlodimiriensis

UT POTE

PROTECTORI SUO

PRÆSTITA.

Anno 1790 Die 25 Novembris.



GRATULATIO

ILLUSTRATIONE AC EXCELLENTISSIMO

DOMINO

PHILIPPO

SKARBEK

WAZIANSKI

OPORTUNITATE ET OCCASIONE

ERGO ET CHELMSKI


ERGO ET CHELMSKI

UT

PROFUNDISSIMO

LIBERIS

XVIII. 3. 133



ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME
DOMINE.

Felicissima die, qua Ecclesia Christi, unum ex optimis & Sanctissimis nacta Pastorem, exultabat singulare certe cepit gaudium Ordo institutionis Divi Basilii Magni, quod tam illustrem, præstantem, ac celebrem ediderit Virum, maximum vero Collegium Vlodimirienſe, quod Eum, cui veluti Numini ſuo tutelari omnia debeat; ad ſummum Sacerdotii ſaſtigium elatum intueatur. Atque hinc communem & æquiſſimam lætitiã, etſi non pro rei magnitudine, pro ſuis tamen viribus explicare, ſuarum eſſe maxime partium idem arbitratũ.

Quantum intereſt Eccleſiæ, bonos, omnique virtutum genere commendatos habere Paſtores, quibus amantiſſimus Servator noſter eandem ſanguine ſuo fundatã regendam comiſſerat; tantum ea

ostendit lætitiæ, cum tales ad gubernacula sua nanciscatur viros; quorum sanctitas & sapientia certam ei & constantem felicitatem polliceatur. Quapropter nihil ei optabilius contingere potuit Excellentissime ac Illustrissime Domine, quam Te tanta pietate, sapientia, doctrina, religione Virum insignitum posse inter suos venerari Præsules, tantaque virtutum tuarum copia adornari. Etenim, si laus, quæ ex præstantissimis Pontificibus Athanasio, Basilio, Ambrosio, Augustino cæterisque, remotissimis in Ecclesiam fluxit temporibus, tantum ei splendoris attulerit, ut post tot etiam elapsa sæcula nullum omnino detrimentum patiat, quam amplam nunc eidem spem concipere licet, cum in Te omnia illa ornamenta perfectissima ratione renovata contemplari videatur. Neque enim, pace eorum dixerim, aut minus firmum religionis fundamentum ad fidem Christi tuendam, aut minorem divinæ eloquetiæ facundiam ad pascendum fidelem gregem, aut vires animi inferiores ad operam Supremi Numinis gloriæ navandam, aut minorem ardorem ad curandam eorum utilitatem, quos Tibi Divina providentia committit in singulis vitæ tuæ actionibus conspicimus, quam in eorum scriptis legimus: totumque, quod occurrit discrimen non aliud notandum venit, quam quod eorum Sanctissimam vitam, & saluberimos Ecclesiæ impensos labores jam eadem veneretur, tuos vero integerrimos mores, otiumque promovendæ gloriæ divini nominis dicatum nunc admiremur, posteritas autem sera justissimis laudibus celebrabit. Quæ cum Ecclesiæ pulcherimis illis & felicissimis Christianæ Religionis temporibus summa sua doctrinæ & pietatis exemplaria contemplanda exhibeat, non deerit ei seges & materia gloriæ, istis quibus vivimus, corruptissimis sæculis, indubitatumque manebit, semper ei divina Christi sollicitudine ministrari viros, qui palam splendorem & sanctitatem doctrinæ ejus, verbis, scriptis & exemplis tueantur.

Etsi vero plurimum ornamentorum ex sapientia, doctrina & pietate tua Præsul Illustrissime ac Excellentissime universa capiat Ecclesia, ob eum videlicet indissolubilem nodum, perfectissimamque unitatem, qua singula ejus membra divinus Fundator conjunxit, redegitque in unum corpus; specialem tamen sibi laudem Ecclesia Ruthena vindicat; quod infelici quodam fato in plures partes Schismate & Hæresibus scissa, in ea sui particula quæ firmiter fidei Catholicæ Romanæ adhæsit, Virum tanta virtutum Christianarum, sapientiæ, eruditionis ac doctrinæ copia illustratum inter suos numerat Pastores. Gaudium vero, quod in eadem ex hoc fortunatissimo eventu oritur, maxime augetur Ipe firmissima fore aliquando, ut lumen & probitatis & doctrinæ tuæ densissimas erroris tenebras percellat, eorumque plurimos ad veritatis lucem revocet, quos omnes converti, & in maternum redire sinum ardentissime exoptamus. Cum enim ex sacris paginis constet, errorem in iis, quæ ad cultum civinum pertinent, ob delicta & perversos hominum mores, maxime autem eorum, quibus cura & sollicitudo Vineæ Christi commissa est, irrumpere; tum certe divinæ clementiæ ad declarandam misericordiam, quam ad pœnam infligendam multo promptiori fidendum est, illam plenos amoris sui labores, ardoremque in spargendo semine suo prosperrimo exitu remuneraturam, eosque cum Pastoribus Sanctissimis ad unitatem fidei revocaturam, quos aut pigritia, aut scelera iniquorum ab illa unione revocaverunt. Jam vero quisnam est, Illustrissime ac Excellentissime Domine quem lateat, quam ferventissimo amore divini numinis ardeas? quantum Tibi incumbit gloriam ejus & lucem fidei Catholicæ propagari? quis ignoret non modo Te omne otium, labores, difficillimosque conatus summa alacritate salutem animarum, verum etiam vitam, & sanguinem non sine ma-

maxima voluptate, eidem, si liceret, impensurum? Atque cum omnes virtutes vitæ tam claræ in Te conspicerentur cum privatus inter monasticos latitares parietes, qui splendor, quæ vis, quod lumen earum futurum est, Divini Spiritus gratia perficiente, complente & coronante? Idem enim, qui ignavis, timidus & imbecillibus cum eos sapientiæ divinæ ad ministerium suum vocare placuerit, majus fortasse natura mortali robur; lumen, & constantiam impertitus est, tuas continuo exercitio comparatas, gratia vero sua auctas virtutes perfecit, & confirmavit.

Magna igitur, vastissimæque spei comparanda lætitia perfundit totam Ecclesiam Ruthenam Præsul Excellentissime, cum tanto Viro solum Pontificium decoratum intueatur; maximam tamen partem gaudii communis Ecclesia Chetmensis deposcit, in quam uberrimi fructus laborum & virtutum tuarum proxime sunt defluxuri. Equidem, si fas esset huic Ecclesiæ Orbis integer invidere deberet, quod in ea optimi semper optimis succedant Pontifices; detrimentumque, quod ex amissione Præsulis non ullis unquam satis celebrandi encomiis, experiri necesse esset, adeo imminuunt Succedentis merita, ut tota voluptas ex amplificata illius dignitate capiatur, perfecta autem virtutum & doctrinæ compensatione nullus ex permutatione dolor sentiri possit. Quamobrem æquissima ratione piæ & Christianæ indulge lætitiæ, tum quod Pastorem tuum, qui tanto Tibi amori semper fuerat, jam toti Ecclesiæ Ruthenæ præpositum venereris, tum quod ei Pontificem succedere intuearis, qui pari amore, studio, consilio, sapientia, dexteritate, fortitudine, felicitatem, decus, & commoda tua promovenda non dubitabit: atque cum jam continuo difficilimoque dignissimorum, qui antecesserunt, Præsulum labore, floreas & vigeas omnium maxime, tum curis ardentissimis tibi sine dubio impendendis, in eo statu collocaberis, ut omnium tibi *venerationem*, cultum & venerationes concilies. Nam si Patrem tui amantissimum desiderabis, Vir hic divina quadam, & inusitata clementia a natura præditus, nullam majorem agnoscit voluptatem, quam dum ei paterni amoris & affectionis documenta exhibere licet; si Sanctæ, incorruptæ, castæque religionis defensorem expostulabis? in eo acerrimum cultus Numinis Supremi vindicem non ullis defessum laboribus, non ulla difficultate perterritum, aut otio suo retardatum habebis; si vitæ, si pietatis Christianæ normam, & exemplar, si lumen & splendorem doctrinæ, disciplinæque Ecclesiasticæ requires, hæc tu in Solio Pontificio collocata intueberis, horum summam perfectionem cum maximo tuo fructu semper ibidem miraberis.


Sed sine quæso participem esse & gloriæ & lætitiæ tuæ Ordinem Divi Basilii Magni, cum ei contigerit non modo in sinu suo hunc tam celebrem excellentemque Virum fovisse & enutrivisse, verum etiam occasionem, ubi sese exercere illæ mirabiles animi dotes cæpissent, subministrasse. Nequeo Illustrissime & Excellentissime Præsul reticere augmentum omnium ornamentorum, quæ tibi debemus, neque si ea perpendam; gloriam tuam potius, quam nostram augeri censeo. Tantum enim splendoris, tantum laudis, in ordinem integrum ex tua singulari redundavit persona, ut nec quidquam memoria tua gloriosius, nec jucundius menti nostræ unquam occurrere possit. Quapropter sequor animi mei propensionem, consuetudinem ac fere naturam, cum aut virtutes tuas recolam, aut fructibus earum amplissimo alveo non jam in ordinem nostrum solummodo, sed etiam in Ecclesiam fluentibus exultem. Neque vero id meum esse solum affirmem, non enim studio partium commotus

B

sum,

rum; sed omnium qui se plane noverint, maxime vero, qui eandem Institutionem profitentes sub tuisque auspiciis diu morati animi tui nobilitatem perspectam & exploratam habent. Nemo est Illustrissime ac Excellentissime Præsul, cui diuturnum Regimen tuum, quod faustum nobis & benignum concesserat Numen, perbreve non videretur, quique se orbatum Patre amantissimo non doleret nisi Ecclesie utilitas privatis commodis esset præponenda. Quare cum tantum apud omnes amorem ac benevolentiam nactus fueris; quid mirum ad omnia te muneratam diligenter, tanque concordi voto requisitum fuisse, ut nec excusationibus tuis deferendum, nec etiam carrissimæ sane nobis valetudini tuæ parcendum censuerimus. Quod si absque non vulgari merito, sapientia, lenitate, prudentia, modestia, mansuetudine, cæterisque virtutibus omnibus nunquam evenire potest, ut quisquam præsertim in dignitate, constitutus, omnium sibi amorem conciliet, tum profecto, illud ipsum, quod semper & Summam Ordinis nostri auctoritatem gesseris, & omnium amorem conciliaveris, maximum est eximiarum virtutum tuarum argumentum. Vix enim curriculum literarum aut capiendarum, aut tradendarum absolvisti, cum veluti in Te uno sita essent, honor, salus & prosperitas ordinis nostri, primo quidem Collegio Musis insigni, tum universo ordini præpositus, nec ita post, cum per leges ordinis amplius non liceret, uni saltem inde maxime felici Lithvanæ Provinciæ præfectus, ac demum mox sese offerente occasione avidissimo omnium consensu, iterum totius Ruthenorum S. Basilii Congregationis regimini admotus gravibus quidem difficillimisque, expostulantibus cunctis, annuisti laboribus, sed luculenter demonstrantibus, quantis in Te semper studiis ferebamur.

Sed ut singularem tibi amorem ac benevolentiam debebat Præsul Illustrissime Collegium Vlodimirienſe, ita nunc etiam præcipuam sibi partem lætitiæ capit. Id enim, sorte quadam faustissima, ut primum Te, quem Divina providentia summis dignitatibus destinavit, Rectorem suum habuit, ita constanter studia tua erga se tutelamque expertum est: neque solum in omnibus ejus necessitatibus nunquam tuum denegasti auxilium, verum etiam inter laudabiles titulos tuos Protectoris ejusdem nomen adsciscendum putasti. Atque hic jam beneficia tua nobis præstita iterum ad laudes tuas celebrandas impellerent, nisi advocaret cogitatio meritis tuis nunquam quidpiam æquale dicendum esse, modestiæ vero tuæ, quæ dicta sunt justo ampliora videri.



PIESN.

Oycze! nie płonnych Muz, gdzieś w Delfach czczony,
Dziwny, błędnego uroienia płodzie!
Lecz Ty coś stworzył wszystko, nie stworzony,
Coś ziemi stałość, płynność nadał wodzie.
Ktorego straszny Maiestat otacza
Rozległych niebios niezmierne przestrzenie,
Ktorego BYTNOSC Jstotę oznacza,
A wielbią duchów nieśmiertelnych pienie.
Twoja niech Ręka usły memi władnie,
Bym wielkość dzieła twego śpiewał składnie.

Twey znowu Łaski tajemne strumienie
Równie obficie Kościół napełniły,
Jak kiedy z wichrem Języczne płomienie
Na przekształcenie Rybaków stały.
Wszak się twey Łaski źródło nie przebiera,
Kościół ci równie jak i przedtem miły.
Gdy kogo Twoja Prawica obiera
By nim zarządzał, daiesz zdatne siły.
A gdzie tchniesz tylko, duch Twój życiorodny
Władzie jest w bytność, szczęście, Łaski płodny.

Do zafzczepioney Ręką Twą Winnicy
Kogoś przed wieki za Stroża naznaczył,
Jakżeś się na to dzieło Twey Prawicy
Wylał? ilaś go cnotami uraczył?
Od lat dziecinnych znać już było prawie
Wysokie względem Niego Twe zamiary,
W dobroci Serca, w Szlachetney postawie,
W całym Nim widać było rzadkie dary
Cóż mówić o tych, któreś w Niego wlewał,
Gdyś Go w Charakter Biskupi odziewał.

Ah! w śród Łask Twoich Panie! pozwol proszę.
Niech z gorącemi modłami Kościoła,
O iedną ieszcze prozbę mą zanofzę,
O którą z nami cześć Twoja współ woła,
Gyś tak darami obsypał obficie
Któregoś Kościół Styrowi powierzył
Niechże ma dłuższy przeciąg Jego życie,
Niżeliś ludzkiej naturze zamierzył.
On w miarę tego co ma żyć na Ziemi
Napełni Niebo Czicielami twemi.



PIEŚNIE

W tym miejscu znajduje się spis treści, który jest bardzo słabo czytelny ze względu na stan zachowania dokumentu.

W tym miejscu znajduje się spis treści, który jest bardzo słabo czytelny ze względu na stan zachowania dokumentu.

W tym miejscu znajduje się spis treści, który jest bardzo słabo czytelny ze względu na stan zachowania dokumentu.

W tym miejscu znajduje się spis treści, który jest bardzo słabo czytelny ze względu na stan zachowania dokumentu.



F

XVIII. 3. 433